



SERIES ALPHABETICA huius  
VOLUMINIS.

<b>A</b>	
De Actionum cessione . . . . .	952.
in successoris universales . . . . .	972.
necessaria . . . . .	986.
Alienatione . . . . .	686.
A. R. P. G. L. G. . . . .	123.
Affecuratio . . . . .	668. b.

<b>C</b>	
De Cambijs . . . . .	674.
Codicillis . . . . .	392.
Collatione . . . . .	271.
Comodato . . . . .	538.
Conductione . . . . .	612.
Conditionibus . . . . .	344.
Conubijs iure . . . . .	69. 75.
Constitutionibus P. P. . . . .	45.
Contradijs innominatis . . . . .	650.
Cessione actionu . . . . .	952. 972.
. . . . .	986.
Civitatjs mutuo . . . . .	500.

<b>D</b>	
De Decretis . . . . .	45.
Delegatione . . . . .	910.
Deposito . . . . .	550.
Denunciatioe litis . . . . .	636.
Divisionibus iuris . . . . .	i.
Dominio . . . . .	123.

<b>E</b>	
De Errore . . . . .	778.
Evidentijs . . . . .	626.
Excussiois Except. . . . .	924.

<b>F</b>	
De Fidei . . . . .	704.

<b>I</b>	
De Institutione Heredu . . . . .	309.
Inventario . . . . .	412.
Integri restitutioe . . . . .	808.
iuris divisionibus . . . . .	i.
iure conubijs . . . . .	75.
restitutiois . . . . .	428.
retentionis . . . . .	884.
innominatis g. libijs . . . . .	650.

<b>L</b>	
De Legitimatione . . . . .	83.
Legitima . . . . .	237.
Locatione . . . . .	612.
Legibus . . . . .	17.
Litis denunciatioe . . . . .	636.

<b>M</b>	
De Matera tutela . . . . .	98.
Metus restitutioe . . . . .	632.
Monopolijs . . . . .	592.
Mutuo civitatis . . . . .	500.
Novatione . . . . .	896.
Optione . . . . .	381.



8  
123.  
DISPUTATIO JURIDICA  
De  
DOMINIO, EIVSQUE  
ACQUIRENDI MODIS DE  
JURE GENTIUM,

*Quam*

DEO TER OPT. MAX.

*feliciter annuente,*

Consensu & Autoritate Nobilissimi & Am-  
plissimi Jctorum Ordinis in celeberrimâ & flo-  
rentissimâ UNIVERSITATE  
ALTDORFINA,

PRÆSIDE

JOACHIMO ÖLHAFIO  
DANTISCO-BORUSSO,

*Exercitii gratiâ*

Privatæ disquisitioni subjecit

JOHANN-JOACHIMUS HAGENDORN  
NORIMBERGENSIS.

*Mense Aprili*

ANNO CHRISTI

---

M. DC. XXIX.

••(O)••

ALTDORFI NORICORUM,  
E Typographia Balthasaris Scherffij,  
*Universitatis Typographi.*



*Illustri & Magnifico*  
DOMINO,  
D. MARTINO RUBACH &c. &c.  
Serenissimæ Reginae Poloniae ac Sue-  
ciae Consiliario dexterrimo, &c.  
ac pro tempore

*Serenissimi & Potentissimi Polonia ac Sueciae*  
Regis &c. &c. &c. Domini nostri Clementissimi,

Ad  
Invictissimum Romanorum Imperatorem  
& alios S. R. Imperii Principes  
LEGATO Splendidissimo, &c.

Domino suo & Meccœnati gratiosissimo,

Hanc Disputationem,

SACR. D.

Et

Devoti affectus

Humilissimæq; observantiæ

Qualecumq;

DOCUMENTUM

Pro sui studiorumq; suorum commendatione  
& promotione

Inscribit & offert

AUTOR

JOACHIMUS ÖLHAFIUS.





Σὺν Ἰεσῶ

DISPUTATIO

DE DOMINIO, EJUSQUE AC-  
QUIRENDI MODIS DE JURE  
GENTIUM.

THESIS I.

**D**ominium est jus de re pro arbitrio  
disponendi & vindicandi, quatenus quis le-  
ge aut conventionem non prohibetur, *Wes. in*  
*ω. d. A.R.D.n.3. Mynsing. ad rubr. I. d. R. D. n. 4.*

II.

Estq; aliud plenum, aliud minus plenum. *l. si tibi 17*  
*Quib. mod. ususfr. vel us. am. l. si ita 126. §. 1. d. V. O. l. si cujus*  
*13. l. sed si 15. §. proprietatis 6. l. dominus 57. §. fin. d. usufr. Harp.*  
*ad pr. l. d. R. D. n. 53. Non aliud directum, aliud utile. Am-*  
*pliss. & Consultiss. D. Erasmi Ungep. Jctus & Antecessor Uni-*  
*versitatis hujus celeberrimus, Nobiliss. Jctorum Ordinis p. t.*  
*Decanus & c. Doctor noster omni observantia & obsequii cultu*  
*colendus, Ex. Just. 5. quest. 3.*

III.

Nanciscimur autem dominium vel Jure Gentium,  
vel Jure Civili. *§. singulorum 11. J. d. R. D. l. 1. pr. d. A. R. D.*  
*non jure naturali, quia eo jure non sunt distincta domi-*  
*nia, l. ex hoc jure 5. d. J. & J. Dom. Soto lib. 4. d. J. & J. q. 3.*  
*artic. 1.*

A 2

Nos

ilb7





IV.

Nos impræsentiarum tantum de acquisitione, quæ Jure Gentium fit, videbimus, quod jus vetustius esse monet *Imper. in d. § singularum 11. l. d. R. D. & Gajus in l. 1. pr. d. A. R. D.*

V.

Acquiritur autem nobis dominium Jure Gentium vel prævio facto alieno: vel sine alterius facto. Hoc modo aut simpliciter & merè; aut mixtim. Merè aut ratione facti nostri, aut ratione rei nostræ. Mixtim ex re & facto simul. *D. Wegner. Disp. ad Inst. 4. §. 3. lit. A.*

VI.

RATIONE FACTI NOSTRI acquirimus I. VENA-  
TIONE, quæ est vel ferarum terrestrium in terrâ, & in  
specie venatio dicitur, vel in aquis piscium, quæ pesca-  
tio vel aëriorum volatilium, quæ aucupium.

VII.

Feræ igitur bestię, & volucres, & pisces, & omnia  
animalia, quæ mari, cælo & terrâ nascuntur, simul atq;  
ab aliquo capta fuerint, Jure Gentium statim illius esse  
incipiunt, *§ fera 12. l. d. R. D. l. 1. §. 1. d. A. R. D.*

VIII.

Et quidem non in proprio solùm, sed & alieno fun-  
do, etiamsi fundum invito Domino ingressus fuerit, *d.*  
*§. fera 12. l. quod enim 3. §. nec interest. 1. d. A. R. D. D. D.*  
*Ungep. Ex. 5. q. 4.*

IX.

Quod etiam de piscibus in alieno stagno vel lacu in-  
telligendum est, quia dicuntur relictæ in libertate natu-  
rali,



125  
rali, l. possideri 3. §. item feras 14. d. acquir. vel am. pos. Cujac.  
lib. 4. Ob. 2. Forster. Disp. ad Inst. 6. q. 11.

X.

Jure tamen Canonico & moribus nostris, ne qui-  
dem in proprio fundo sine peculiari Principis aut alte-  
rius Magistratus permisso venari licet, D. Ungep. d. Ex.  
5. q. 4.

XI.

2. CAPTIVITATE IN BELLO: Unde quæ ex hosti-  
bus, nondum devictis, capimus, statim nostra fiunt,  
§. item ea 17. l. d. R. D. l. naturalem 5. §. fin. d. A. R. D. & qui-  
dem absolutè. D. Ungep. Ex. 5. q. 5.

XII.

Quæ verò ab hostibus virtute bellicâ recuperantur,  
ea ad pristinos Dominos redeunt, l. postliminium 19. §. si  
verò 5. l. si captivus 20. §. 1. l. si quid 28. d. captiv. & postlim.  
D. Ungep. d. q. 5. in f.

XIII.

3. INVENTIONE lapillorum, & gemmarum & cæ-  
terorum, quæ in litore maris inveniuntur: §. item lapilla  
18. l. d. R. D. l. item lapilli 3. eod. tit.

XIV.

Hoc autem intelligendum est de iis, quæ solent in  
litore maris inveniri: Unde qui alienum quid jacens lu-  
cri faciendi causâ sustulit, furti obstringitur, l. falsus cre-  
ditor 43. §. qui alienum. 4. d. furt.

XV.

Bona quoq; naufragorum licet in litore invenian-  
tur,



tur, neq; ad inventorem, neq; ad Dominium territorii  
pertinent, arg. l. interdum 21. §. 1. d. acquir. vel am. poss. Auth.  
navigia. C. d. furt. P. H. D. art. 218. Gail. lib. 1. Ob. 18. D. Wil-  
helm. Ludwell. Præceptor meus plurimum honorandus Disp. 4.  
ad Instit. §. 5. lit. E.

### XVI.

Et sic simpliciter & merè ratione facti nostri res nobis ac-  
quiruntur. Ratione rei nostræ acquiritur. I. FŒTURÂ REI  
NOSTRÆ, quæ est quicquid ex re nostrâ nascitur, tan-  
quam rei ejus fœtus, §. item ea. 19. l. d. R. D. Donel. lib. 4.  
Com. c. 23. Ratio hujus acquisitionis redditur in l. idem  
Pomponius §. §. idem scribit, 2. d. R. V. & l. si quis 11. C. eod. tit.

### XVII.

2. ACCESSIONE; quæ dicitur, quando aliquid  
ita rei nostræ accedit, & adjicitur, ut tractum à re no-  
strâ ei cedat, eamq; sequatur.

### XVIII.

Hoc contingit I. PER ALLUVIONEM, quæ est incre-  
mentum latens, cum quid ita paulatim agro nostro ad-  
jicitur motu fluminis, ut intelligi non possit, quantum  
quòquo temporis momento adjiciatur, §. prætereà 20. l.  
d. R. D. l. adeò quidem 7. §. prætereà 1. d. A. R. D. Ratio hu-  
jus acquisitionis est, quia portio, quæ coäluit, principa-  
li rei cedit, l. sed si 26. §. arbor 2. d. A. R. D. l. hoc amplius 9. §.  
Alfenus 2. d. damn. inf.

### XIX.

Unde si vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio  
detraxerit, & vicini prædio attulerit, palam est eam  
tuam permanere. Si tamen longiore tempore fundo  
vicini pars detracta hæserit, arboresq; quas secum tra-  
xit in



126.

xit in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videtur vicini fundo acquisita esse, §. quod si vis 21. §. l. adeò quidem 7. §. quod si 2. l. hoc amplius 9. §. Alfenus 2. d. damn. inf. D. Ungep. d. Ex. 5. q. 6.

XX.

II. PER INSULAM in flumine natam, quæ naturali ratione iis acquiritur, qui vicina habent prædia, §. insula 22. l. d. R. D. l. inter eos 29. l. ergò 30. §. tribus 2. d. A. R. D. aut fit ejus, cujus ripam contingit, l. 1. §. Insula 6. d. flumin. l. adeò quidem 7. §. insula 3. d. A. R. D.

XXI.

Non proprietate tantum, verùm etiam usu. Don. lib. 4. Com. c. 29. ibiq; Hillig. lit. B. extremitate ejus excepta, quæ ripæ instar est, & propterea usu publica l. ergò 30. §. 1. d. A. R. D. & l. pen. §. 1. d. t. D. Ungep. Ex. 5. q. 7.

XXII.

III. PER ALVEI MUTATIONEM. Alveus enim relictus est eorum, qui propè ripam prædia possident: novus autem alveus fit publicus; nisi tamen flumen ad priorem alveum reversum fuerit, tunc enim finitimis accedit, §. quod si naturali 23. l. d. R. D. l. adeò quidem 7. §. quod si toto 5. d. A. R. D. l. 1. §. similimodo 7. d. flumin. Don. d. lib. 4. Com. c. 28.

XXIII.

IV. PER INUNDATIONEM perpetuam, l. quid tamen 10. §. agri. 2. Quib. mod. usu fr. vel us. am. Nam temporaria inundatio jus & causam agri non mutat, l. 1. §. ripa 5. d. flum. §. alia 24. l. d. R. D. l. adeò quidem 7. §. aliud sanè 6. d. A. R. D.

Et sic



XXIV.

Et sic etiam res acquiruntur *merè & simpliciter ratione rei nostræ. Mixtim ex re & factò* simul acquiritur nobis  
I. SPECIFICATIONE, cum nova species ex alienâ materiâ, vel nostrâ & alienâ conficitur.

XXV.

Et priori quidem casu, si ea species ad priorem materiam reduci potest, pertinet ista species ad priorem dominum: quia pars potior ac dominans trahit ad se minorem, & quod minus est cedit potentiori: Si verò non potest reduci, est ejus, qui eam fecit, §. *cùm ex alienâ 25. l. d. R. D. & l. adeò quidem 7. §. cum quis 7. d. A. R. D. D. Ungep. d. Ex. 5. q. 8.*

XXVI.

Posteriori verò casu, si vid. species ex alienâ & propriâ materiâ facta fuerit, pertinet ad conficientem, cum is non solum operam suam dederit, sed etiam partem ejusdem materiæ præstiterit, §. *quod si 26. l. d. R. D.*

XXVII.

Quod tamen secus est, quando species ad suam pristinam materiam & causam reduci potest, quia materiæ non perfectæ confunduntur, quæ separari possunt, *l. lacus 12. §. 1. d. A. R. D. & l. idem Pomponius 5. §. 1. d. R. V. D. D. Ungep. d. Ex. 5. q. 8. in f.*

XXVIII.

II. IN TEXTURA: §. *si tamen 27. l. d. R. D.* quia adjunctum cedit subjecto, & accessorium sequitur suum principale, *l. cum aurum 19. §. perveniamus, 13. d. aur. & argent. legat.*

III. CON.



XXIX.

III. CONFUSIONE, quæ est duarum materiarum liquidarum inter se, & in unum corpus permixtio, *Donel. lib. 4. Com. c. 31.*

XXX.

Et per hanc corpus ex confusione ortum utriusq; Domini commune est, siue voluntate illorum, siue casu facta fuerit confusio, modò materia talis sit, ut deduci non possit, §, *si duorum 28. l. d. R. D. l. adeò quidem 7. §. voluntas 8. & §. seq.* Secus est, si possit deduci, *l. idem Pomponius 5. §. 1. d. R. V. l. lacus 12. §. 1. d. A. R. D.*

XXXI.

IV. COMMIXTIONE, cum ex pluribus rebus aliæ ad alias sic accedunt, ut simul quidem sint, attamen ita, ut singulæ suam speciem discretam retineant. *Donel. lib. 4. Com. c. 30.*

XXXII.

Et si quidem voluntate dominorum facta sit commixtio, commune erit, quod commixtum est: Sin casu, aut alterutrius tantum voluntate, res singulorum manent, & vindicari possunt, §. *quod si frumentum 29. l. d. R. D. l. idem Pomponius 5. in pr. d. R. V.*

XXXIII.

V. INÆDIFICATIONE: Cum enim quis in suo solo ex alienâ materiâ ædificat, ædificium fit ejus, qui ædificavit: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit. §. *cum in suo 30. l. d. R. D. l. adeò quidem 7. §. cum in suo 10. l. si supra 28. d. A. R. D. & l. Paulus 29. §. 2. d. pign. & hypoth.*

XXXIV.

Diruto tamen, ædificio potest Dominus materiam  
B suam





suam vindicare, & ad exhibendum agere, d. §. cum in suo  
30. d. l. adeò quidem 7. §. cum in suo 10. l. in rem. 23. §. ult. d. R.  
V. l. de eo 63. §. sed in cæmentis 2. d. except. rei jud. Non verò  
stante ædificio, etiamsi Dominus ædificii tignum velit  
eximere, ut ab actione de tigno juncto se liberet, l. 1. pr.  
d. tign. junct. D. D. Ungep. d. Ex. 5. q. 9.

XXXV.

Ex diverso, si quis in solo alieno ex suâ materiâ do-  
mum ædificaverit, illius fit domus, cujus & solum est,  
§. ex diverso 31. l. d. R. D. & d. l. adeò quidem 7. §. ex diverso  
12. d. A. R. D.

XXXVI.

Bonæ fidei tamen possessor æstimationem materiæ  
& sumtus, quos in ædificio fecit, potest consequi per  
retentionem ædificii & exceptionem doli mali, d. §. ex  
diverso 31. & d. l. adeò quidem, 7. §. ex diverso 12. d. A. R. D. l.  
in hoc judicium 14. §. 1. com. divid. l. Paulus 14. d. doli mal. &  
met. excep. quod secus est in malæ fidei possessore d. §. ex  
diverso, 31. in f. & d. l. 7. §. 12. Don. lib. 4. Com. c. 33.

XXXVII.

VI. IMPLANTATIONE. Planta enim cedit solo, si ve  
aliena in solo meo, vel contra mea in solo alterius po-  
sita fuerit, modò in utroq; casu radices egerit, §. si Ti-  
tius 32. l. d. R. D. l. adeò quidem 7. §. ult. & l. quâ ratione 9. pr.  
d. A. R. D. quia credibile est alio terræ alimento aliam  
factam esse, l. sed si 26. §. arbor. 2. d. t. Don. lib. 4. Com. c. 34.

XXXVIII.

VII. SATIONE: Quâ ratione enim plantæ quæ ter-  
ræ coalescunt, solo cedunt; eâdem ratione frumenta  
quoq;



quoq; , quæ sata sunt , solo cedere intelliguntur, §. *quâ ratione* 33. *I. d. R. D.* potest tamen is , qui bonâ fide agrum conseruit , laboris sui ac seminis pretium per exceptionem doli mali servare , *l. quâ ratione 9. pr. d. A. R. D.*

## XXXIX.

VIII. SCRIPTURA : Literæ enim licet aureæ sint, chartæ sive membranæ cedunt ; quia sine eâ esse non possunt. §. *litera* 34. *I. d. R. D. l. quâ ratione 9. §. 1. d. A. R. D. l. in rem 23. §. sed & id 3. d. R. V. l. in hoc 3. §. penult. ad exhib.* Quod & hodiè adhuc obtinet. *D. D. Ungep. d. Exercit. 5. quest. 10. in f.*

## XL.

IX. PICTURA ; Quæ propter præstantiam suam tabulam ad se trahit, ita ut is, qui in alienâ tabulâ bonâ fide pinxit, tabulæ quoq; Dominus efficiatur, eamq; etiam à Domino priori directò vindicare possit : Quod si ipse pingens possideat tabulam, Domino priori utilis vindicatio conceditur, §. *si quis* 35. *l. quâ ratione 9. §. 2. d. A. R. D. D. D. Ungep. d. Exercit. 5. quest. 10.*

## XLI.

X. PERCEPTIONE FRUCTUUM à bonæ. fidei possessore factâ , qui fructus industriales sibi acquirit solâ separatione, irrevocabiliter. §. *si quis* 36. *l. qui scit: 25. §. 1. d. usur. & fruct. l. bonæ fidei 48. pr. d. A. R. D. l. si fructuarius 13. Quib. mod. usus. vel usufr. amit. ut & consumptione fructus naturales, l. sed & loci 4. §. post litem, 2. fin. regun. l. quæsitum est 40. in f. d. A. R. D. §. etsi 2. I. d. off. Jud. nec tenetur propterea Domino superveni-*



enti, nisi ex iis factus fuerit locupletior *l. item veniunt*  
20. §. *prator hac 6. d. hered. pet. D. D. Ungep. Exerc. 5. q. 12.*

*XLII.*

**XI. INVENTIONE THESAURI;** qui totus fit  
inventoris, si cum in suo loco, sine magicis artibus  
quæsitum aut casu invenerit. §. *thesauros. 40. I. d. R. D.*  
Si verò in loco alieno casu & fortuitò invenerit, divi-  
ditur inter Emtozem & Dominum loci: Sin datâ ope-  
râ, totus Domino loci reddi jubetur. *l. un. C. d. the-  
saur. lib. 10.*

*XLIII.*

Et hisce modis acquiritur nobis dominium *sine al-*  
*terius factò*: *Prævio factò alieno* adquirimus dominium  
**I. TRADITIONE**, quæ est vacuæ possessionis datio,  
dominii transferendi causâ facta, *l. si pater 8. C. d. A.*  
*E. & V. l. qui prædium 13. C. d. distract. pign. l. fin. d. jure*  
*fisc. l. cum fundum 18. d. vi & vi arm.*

*XLIV.*

Ut autem hoc modo dominium transferatur, re-  
quiritur 1. ut fiat ex justâ causâ sive titulo ad domini-  
um transferendum habili, qualis est legatum, dos, &c:  
§. *per traditionem 41. I. d. R. D. l. nunquam 31. d. A. R. D.*  
2. Voluntas & consensus utriusq; tam tradentis, quàm  
accipientis, *l. in omnibus 55. d. O. & A. 3. ut tradens sit Do-*  
*minus l. traditio 20. d. A. R. D.* 4. ut talis, qui liberam  
rerum suarum administrationem habeat. *l. pupillus*  
*11. d. t.*

*XLV.*

**II. MISSILIMUM OCCUPATIONE.** Nam si præ-  
tores



129.

tores vel Consules, aut etiam Imperatores missilia in vulgus jactent, quod quisq; accepit, ejus Dominus efficitur, §. *hoc amplius* 46. I. d. R. D.

XLVI.

III. OCCUPATIONE RERUM PRO DERELICTO HABITARUM. §. *pen. I. d. R. D. l. i. l. si id quod* 5. §. 1. *pro. derelict.* Derelictio autem rei duo exigit: 1. quod quis rem suam amplius esse nolit. 2. ut quam rem non vult esse suam eam abjiciat. §. *ult. I. d. R. D. l. quâ ratione* 9. §. *ult. d. A. R. D.*

XLVII.

Et tantum de causis seu modis acquirendi domini: Consistit autem dominium in omnibus rebus, quæ quidem in commercio esse possunt, non corporalibus tantum, verum etiam incorporalibus. *D. D. Ungep. Exerc. 5. quest. 3.*

XLIX.

Probatur dominium per famam; per testes; item per tempus, cujus initii memoria non extat *Mascard. d. probat. concl. 546. & duab. seqq.* ut & per emptionem, vacuæ possessionis, traditionem & pretii solutionem, quæ tria conjunctim requirit *Mascar. concl. 537.* non tamen per simplicem possessionem, *Mascard. concl. 539.*

XLIX.

Finis dominiorum est, tùm, ut constitutâ rerum proprietate, scaturigines litium & contentionum obstruantur, *l. cum pater* 77. §. *dulcissimis*, 20. *d. legat. 2. & l. i. d. usurp. & usuc. Wesemb. in w. ff. d. A. R. D. n. 11.* tùm ut vitæ subsidium paremus: & inde bona dicta sunt, quod nos beent. Beare autem est prodesse, *l. bonorum* 49. *d. V. S.*



L.

Effectus domini cernitur 1. in jure tenendæ possidendæq; rei. 2. licere incolumem tueri. 3. in jure utendi fruendiq; 4. in jure ab ejus usu arcendi quoslibet. 5. in alienando diminuendove *Donel. lib. 9. Com. c. 9.* 6. in vindicando. *l. in rem 23. d. R. U.*

L I.

Cognata sunt, quasi dominium, quod habet bonæ fidei possessor. *l. bona fides 136. d. R. I. l. 2. d. probat. § namq;* 4. *l. d. acton.* aut qui ex injustâ causâ, vid. per metum, dolum, violentiam rem amisit, eamq; aliquâ actione vel petere vel repetere potest: *Wes. in w. ff. d. A. R. D. n. 13.* item dominium spei, quod penes liberos est, qui paternorum bonorum spe domini sunt; *§ sui autem 2. l. d. hered. qual. & diff.*

L II.

Contraria dominio sunt amissio, de quâ *Donell. lib. 9. Com. c. 12. abusus. § 2. l. de his qui sunt sui vel ali. jur.* item universalis rerum communio. *Harppr. adpr. l. d. R. D. n. 54. & seqq.*

Et hæc de dominio in præsentia dicere placuit; plura ex Doctoribus petere licebit. Nos hîc cum invocatione & laude Nominis divini subsistimus.



*Legimus*





*Legum Studiosissimo juveni,*

DN. JOHANNI JOACHIMO  
HAGENDORN.

**E**rgone diva Themis certo tua pectora thyrsō  
Percussit, Clarii pars JOACHIME chori?  
Nec tantum assidue volvis civilia jura,  
Vertis & in succum, qua tibi lecta semel:  
Verum etiam creperā gestis certare palastrā,  
Velatig, togā pralia Martis amas?  
O factum JOACHIME bonum! Quicumq, tuetur  
Justitiam, rutili sideris instar erit.  
Pugnate, ô dulces JOACHIMI, fortiter ambo:  
Ut vestras laudes fama loquatur anus.

Amoris ergo

*scribit*

M. GEORGIUS MAURITIUS,  
Universitatis Altdorfinæ  
P.P. & Poëta Laur.

FINIS.



DR. JOHANNI JOACHIM  
HAGENDORN.

Ergone dico Thomam certo tua peccata tibi  
Nec tantum illud volui scribere tibi  
Tunc enim crederetis quod peccata  
O peccata tibi in bonum! Quia tunc  
Pugnat, o dulcis JOACHIM, fortiter ambo  
Ut vestra laudes fama loquatur annis.

Amoris ergo  
M. GEORGII MAURITII  
Universitatis Altdorfen  
P. & Poeschl  
FINIS





00 A 6343


ULB Halle 3  
002 928 566



1. Rubre ✓ VD 17









Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



123.

JURIDICA  
EIVSQUE  
MODIS DE  
NTIUM,  
OPT. MAX.  
Nobilissimi & Am-  
s in celeberrimâ & flo-  
VERSITATE  
RFINA,  
ÖLHAFIO  
BORUSSO,  
gratiâ  
itioni subjicit  
US HAGENDORN  
RGENSIS.  
Aprilis  
HRISTI  
XXIX.  
ORICORUM,  
lthasaris Scherffij,  
Typographi.

